

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Bonum siue bonitas e
cum fonte primo

Aut ista bona non sunt que uocantur,
aut homo felicior Deo est.

Que enim nobis bona uidentur, non habet in usu Deus.
Nec enim libido ad illum,
nec epularum lauticia, nec opes.

Incredibile autem est bona Deo deesse;
hoc ipsum argumentum est bona non esse
que Deo desunt.

Adde quod multa que bona uidentur
animalibus quam homini pleniora contingunt.

Illa cibo auidius utuntur,
uenere non eque fatigantur.

Virium illis maior est firmitas;
sequitur ut multo feliciora sunt homine.

Nam sine nequicia, sine fraudibus degunt,
fruuntur uoluptatibus

sine ullo pudoris aut penitencie metu.

Fallimur;
bona illa sunt uera que ratio dat
solida ac sempiterna
que cadere non possunt nec decrescere.

Cetera opinione bona sunt,
hoc quidem habent commune cum ueris,
proprietas uero boni in illis non est.

Idem (Seneca) LXXXV. epistola.

Sed ut illa praeteream,
aut ista bona non sunt quae uocantur
aut homo felicior deo est,
quoniam quidem
quae cara nobis sunt non habet in usu deus;
nec enim libido ad illum
nec epularum lautitia nec opes
nec quicquam ex his hominem inescantibus
et vili uoluptate ducentibus pertinet.
Ergo aut credibile est bona deo deesse aut
hoc ipsum argumentum est bona non esse,
quod deo desunt.

Adice quod multa quae bona uideri uolunt
animalibus quam homini pleniora contingunt.
Illa cibo auidius utuntur,
uenere non aeque fatigantur;
uirium illis maior est et aequabilior firmitas;
sequitur ut multo feliciora sint homine.
Nam sine nequitia, sine fraudibus degunt;
fruuntur uoluptatibus,
quas et magis capiunt et ex facili,
sine ullo pudoris aut paenitentiae metu.

Considera tu itaque an id bonum uocandum sit quo
deus ab homine, <homo ab animalibus> vincitur.
Summum bonum in animo contineamus:
obsolescit si ab optima nostri parte
ad pessimam transit et transfertur ad sensus,
qui agiliores sunt animalibus mutis.
Non est summa felicitatis nostrae in carne ponenda:
bona illa sunt uera quae ratio dat,
solida ac sempiterna,
quae cadere non possunt, ne decrescere
quidem ac minui.

Cetera opinione bona sunt
et nomen quidem habent commune cum ueris,
proprietas [quidem] in illis boni non est;
itaque commoda uocentur et,
ut nostra lingua loquar, producta.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae
morales*, 74.14-17 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.227-8,
ll.14-27, 1-10).